



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 90. Papa Hispaniæ Regem ac Cæsarem a Gallis avertere conatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A. C. 1510.

xime firmaretur, hanc duntaxat conditionem inferi juberet, ut hæc pax tamdiu subsisteret, quamdiu Galli cum Sede Apostolica conjuncti essent: rupta autem amicitia Anglis, prout bene visum fuerit, agere liceret. Valuit Volsæi conatus; ast Franciæ Deputati, Caletum inter & Ardrecinum habito cum Anglis oratoribus colloquio, præfatæ clausulæ omnibus viribus oblectabantur, ac quamplurimas proferebant foederum formulas, quæ inter utramque Nationem a Ludovici junioris regimine usque ad Ludovicum XII. sancita nullam sacræ Sedis mentionem ingesserunt. Ea de re Franciæ Oratores Lugdunum, ubi tum Rex agebat, quosdam ablegant, qui amplio rem agendi facultatem impetrarent: Ludovicus vero, ubi a suo Legato Londini commorante edocebatur, Anglos nunquam nisi adjecta hac conditione, foederis pacta firmaturos, Deputatos desistere jussit, spe fretus, se Henricum VIII. tractu temporis ad sua vota opportunius inclinaturum, ubi ille periculum, cui sese involveret, propius inspecturus esset.

§. XC.

*Papa Hispaniæ Regem ac Cæsarem
a Gallis avertere conatus.*

*Raynald. hoc
ann. c. 24.*

Nec hic steterè Pontificis molimina,
sed Ferdinandum quoque Hispaniarum

rum Regem ad rescindendam Gallorum societatem pertrahere, suisque studiis devovere conabatur: hinc solus adhuc ad sustinendam belli molem Julio deerat Maximilianus Imperator, quem, ut cum Venetorum Republica specialem pacem iniret, inducere tentabat. Minus tamen placuit Cæsari Papæ consilium; sperabat enim duplicem, eumque satis validum proximi belli nervum aliunde sibi suppeditatum iri; quippe a Galliæ Rege foederato suo pecunias, ab Imperio autem militum suppetias sibi pollicebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1510.

Guic. l. 9.
Maria. l. 29.

§. XCI

Comitia a Cæsare Augustæ indicta.

Hanc in rem Imperator S. R. I. comitia Augustæ Vindelicorum celebranda indixit: ut vero a Gallis pecunias obtineret, Gurcensem Episcopum in Franciam ablegavit, qui tamen nonnisi mense Septembri eo delatus est. Interea Augustæ conventus Principum habetur, eo fine, ut a Germanis necessaria suppeditarentur subsidia; quorum tamen consilia, ut everteret, nil intentatum reliquit Pontifex, hacque de causa Nuncium ad Comitia decrevit, qui sese omnibus Maximiliani machinationibus opponeret, nec segniores Veneti clam suos decernebant Procuratores, qui S. R. I.

H 4

Prin-